

Nec diutius quam respondit moratus, admoveri jubet scalas: conantibusque ceteris evadit in murum. Angusta muri corona erat: non pinnae sicut alibi fastigium ejus distinxerant; sed perpetua lorica obducta, transitum sepserat. Itaque rex haerebat magis, quam stabat in margine, clypeo undique incidentia tela propulsans; nam ubique eminus ex turribus petebatur. Nec subire milites poterant, quia superne vi telorum obruebantur; tandem magnitudinem periculi pudor vicit: quippe cernebant cunctatione sua dedi hostibus regem. Sed festinando morabantur auxilia; nam dum pro se quisque certat evadere, oneravere scalas; quibus non sufficientibus devoluti, unicam spem regis sefellerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus, velut in solitudine destitutus.

(LIB. VIII. c. 5.)

Jamque laevam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassaverat, clamantibus amicis, ut ad ipsos desiliret, stabantque excepturi; quum ille rem ausus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriae insignem. Namque in urbem hostium plenam praecepiti saltu semetipse immisit; quum vix sperare posset dimicantem certe, et non inultum esse moriturum: quippe antequam adsurgeret, opprimi poterat, et capi vivus. Sed forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet; itaque stans init pugnam; et ne circumiri posset, fortuna providerat. Vetusta arbor, haud procul muro, ramos multa fronde vestitos velut de industria regem protegentes, objecerat: hujus spatiose stipiti corpus, ne circumiri posset, applicuit, clypeo tela, quae ex adverso ingerebantur, excipiens. Nam quum unum procul tot manus peterent, nemo tamen audebat proprius accedere: missilia ramis plura, quam clypeo incidebant. Pugnabat pro rege primum celebrati nominis fama: deinde desperatio, magnum ad honeste moriendum